



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs L. Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotijs se immisceant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

non pro reliquis discipulis omnibus dari iussisset, si Divinò Jure à tributo seu censu immunes omnes fuissent

Non majorem vim habet confirmatio; quia consuetudo dubium quidem de immunitate Jus interpretandi, *arg. c. Cum dilectus 8. de Consuet.* non etiam clarum & liquidum abrogandi eive derogandi vim habet; quia non apparet, quomodo

illud abrogans eive derogans consuetudo esse queat rationabilis partim; quia Ecclesie gravamen apertè inducit, contra *c. 1. de Consuet.* & adversatur Juri secundum legis Divinæ & Naturalis rationis dictamen condito; ut locus sit, *arg. c. fin. de Consuet.* partim; quia Ecclesia ipsi apertè resistit, ut *cir. Tit. 2. n. 116.* est dictum.



TITVLVS L.

Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant,

SUMMARIUM,

- | | |
|---|--|
| <p>1. Sensus Rubricæ.</p> <p>2. Varietas negotij Sæcularis.</p> <p>3. I. Veritas Ecclesiasticæ est Negotiatio:</p> <p>4. Cujus tres species sunt.</p> <p>5. Licet illi emunt necessaria & superflua vendunt.</p> <p>6. Illicite res emunt & non mutatas cavius:</p> <p>7. Imò & mutatas solius questus causâ distrabunt:</p> <p>8. Ex alia causa immutatas vendere non prohibentur.</p> <p>9. Eadem fere ratio est Conductionis prædiorum.</p> <p>10. II. Agitatio judicij Sanguinis.</p> <p>11. III. Ordinatio acies & pugna cum hoste:</p> <p>12. Quæ Minoribus etiam clericis & Religiosis est interdicta:</p> <p>13. Licet alio sine honesto castra sequi non prohibeantur.</p> | <p>14. IV. Exercitium Chirurgia:</p> <p>15. Nisi pietatis causâ suscipiatur.</p> <p>16. V. Procuratio laicorum in & extra Judicium.</p> <p>17. VI. Officium Tabellionis.</p> <p>18. Quin tamen instrumenta à tabellione Ecclesiastico consecra irritentur.</p> <p>19. VII. Officium Vice comitis & Gubernationis secularis.</p> <p>20. Veritum sub censura, Episcopos non afficiente.</p> <p>21. VIII. Legum & Medicina Studium publicum Religiosis,</p> <p>22. Et nonnullis clericis non permittitur.</p> <p>23. Favore studij sacre Theologia:</p> <p>24. Cujus favore statuta fere etiam Jus Canonicum spectant.</p> <p>25. Physicam & Civile Jus docere,</p> <p>26. Et Civile Jus Canonico jungere Ecclesiastici non verentur communitur.</p> <p>27. Et speciali Jure passim permittuntur.</p> |
|---|--|

G B B B B B 1 Sicut

1. **S**icut in Ecclesiis, quod Dei domus sint, prophani actus exerceri, sic à Personis Ecclesiasticis, quod in sortem Domini vocatae sint, prophana & secularia negotia tractari non debent, secundum propositam Rubricam, & illud Apostoli, *Nemo militans Deo implisat se negotiis secularibus*, 2. Timoth. cap. 2, v. 4.

2. Secularia autem negotia secundum Panormit. in Rubric. cit. aliquando vocantur in latiori sensu omnia, quae Seculum, hoc est, mundum & carnem, sive carnalem concupiscentiam magis sapiunt quam Spiritum sive dictamen rectae rationis: cuiusmodi complura referuntur e. t. quorum licet pleraque omnibus, praeter aliis tamen Clericis & Religiosis propter statum excellentiam sunt vitanda: aliquando in strictiori & magis proprio sensu ea, quae ad Reipublicam statum Seculare seu Politicum potius quam Ecclesiasticum pertinent; eamque ob causam, licet secundum felicitatem sint, personis tamen Ecclesiasticis, scilicet Clericis & Religiosis generaliter interdicuntur: qualia Rubricae huic subiectis textibus permulta recenseantur, & praecipue sunt

3. Primò Negotiatio: quae illis vetita est *can. Consequens 2. can. Negotiatorem 9. Ec. dist. 88.* sub excommunicatione, e. Secundum 6. hanc Rubr. Prohibitionis ratio iusta fuit partim; quod aliena sit à ratione vitae propriae Clericorum & Religiosorum, vi Ordinationis ac Professionis suae specialiter obligatorum ad conversationem cum Deo, exhibendum ipsi cultum & obsequia mysteria Divina: quibus cum negotiatio minimè cohæret; cum eamens in infinitas partes distrahatur & inuicillium desideriorum ac sollicitudinum profundo quodammodo absorbeat: partim vero; quod suspicionem præbeat avaritiæ, & obnoxia sit multis periculis

fraudum, injuriarum, perjuriarum &c. quorum etiam specie abhorreant Clerici & Religiosi debent, juxta monitum eisdem Apostoli 1. Thessal. cap. 5. v. 21.

Ne autem cit. textibus ipsis generaliter etiam rerum emptio, venditio & huic affines contractus omnino omnes interdicti videantur, dilatio facienda est inter triplicem Negotiationem: quarum primam, latissimè & improprie acceptam, res necessariae vel utiles emuntur, & superfluae pretio, quò eò tempore valent, venduntur. Alteram, propriè & strictissime sumptam, lucri seu quæstus faciendi causa res v.g. vinum, frumentum, victualia & merces aliae emuntur, aliove titulo oneroso comparantur; ut non mutata sine in aliam formam redacta citius vendantur. Tertiam, minus quidem propriam sed tamen etiam lucri causa institutam, res emuntur; ut arte vel industria & labore in aliam formam mutatae aut meliores reditæ per se aut alium vendantur: licet illae, cum emuntur hordeum & lupuli; ut certivisa: lana, ut pannum; ferrum; ut gladii, secures, vomeres ex iis fiant & distrahantur: cum emuntur boves & pabulum; ut istò saginati cum lucro vendantur. Quarum

Prima Clericis & Religiosis non minus quam laicis permittitur & nequaquam obnoxia est incommodis Negotiationis interdictæ *can. 6. e. Secundum cit.* cum necessariorum & utilium rerum emptio, & non necessariorum aut superfluarum distractio animi per se non distrahatur, neque impediatur, quò minus Deo & Divinis vacare possit. Unde Clericus eius, quod pro sua suorumve necessitate emit, residuum, vel si eò ex quacunque causa uti non valeat aut velit, vendere etiam majori pretio eò tempore currente non prohibetur. Quia, si hoc non liceret, avarici & Religiosi saepe res suas perire aut abijcere

abjicere, magnò suò damnò deberent. Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 342. n. 14.* & Palao *Tract. 12. disp. Unic. p. 9. num. 16.*

6. Secunda indubitate prohibita est *can. & c. cit.* usque adeò; ut imprimis pro rebus Negotiationi subjectis & per eam acquisitis vestigalia & portoria solvere, perinde ut laici, teneantur, *Clement. fin. & c. Quamquam 4. de Censibus in 6.* Deinde omnia bona per hujusmodi Negotiationem acquisita, quæ post ipsorum obitum extant, tanquam spolia ad fiscum Ecclesiæ sive Cameram Apostolicam pertineant ex *Constitutione Pii V. quæ incipit Decens, edita Nonis Novemb. 1560. Azor p. 2. Instit. lib. 8. cap. 2. q. 8.* Demum ipsi Clerici & Religiosi negotiatores obnoxii sint excommunicationi per sententiam infligendam, *c. Secundum cit. & amissioni privilegii Clericalis, si post triam vel unam peremptoriam admonitionem ab ea non desistant, Clement. 1. de Vita & honest. Panormit. in c. Secundum cit. n. 1. Molina disp. cit. n. 1. & Fagnanus in c. cit. n. 9. rectè excipiens casum necessitatis: ad quam propullandam clerico prius ad artificium vel laborem manuum quàm ad negotiationem recurrendum, arg. *can. Clericus 2. & 3. disp. 91. & can. Nunquam 32. disp. 5. de Consec.* docet S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 3.*

7. Tertiam etiam, quæ res luci seu quæstus causâ emptæ & immutata vel meliores redditæ carius venduntur, Clericis & Religiosis, extra casum necessitatis interdicitur, docet *cit. Molina n. 6. Laiman Lib. 3. Tract. 4. cap. 17. n. 40. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 4. propter eosdè textus & rationem; quia ad negotiationem propriè dictam proximè accedit. Lucri, inquam, causâ: & non solum propriorum agrorum & fundorum fructus utiliter impendendi vel distrahendi: sic enim Clerici &*

Religiosi, suorum prædiorum & beneficiorum fructus in loco, ex quo proveniunt, vel aliò translato distrahendò: ex hordeo vel tritico ex iis collecto decoctam cerevisiam, vinum ex propriarum vinearum uvis expressum, animalia empta & ex propriis prædiis proveniente pabulo faginata eorumque partus vendendo, illicitam & relatis pœnis obnoxiam Negotiationem non exercent; quia hujusmodi rerum venditarum pretium istiusque incrementum non tam prioris emptionis, quàm naturæ eique accedentis industriæ est fructus, *Molina cit. n. 6. Barbosa de Offic. Episc. alleg. 13. à n. 10. & Palao cit. n. 16.* Simili modò Clerici & Religiosi licitè emunt res necessarias ad artificium, non sordidè & mero luci studiò, contra text. *c. 2. hanc Rubr. sed, ut olim Monachi, texendò retia, corbes, storeas & ut S. Paulus scenofactoriam exercendò Actor. cap. 18. v. 3. ad victum parandum, otium fugiendum, castigandum corpus, elemosynas faciendas &c. talique sine iis horis, quibus à spiritualibus functionibus remittunt, elaborata vendunt, ut cum S. Thomas art. 3. docet Fagnan. in c. Secundum cit. n. 10. & cit. Pirrhing n. 7. quia sic non exercent Negotiationem ipsi interdicitur, & copulativè exigentem duo: scilicet emptionem rei ejusque non immutata vel etiam in aliam formam redactæ venditionem: & ut emptio illa rem carius vendendi animò fiat gratiâ luci seu quæstus, ut notat *Barbosa l. cit. num. 11. in fine.**

Postremæ huic negotiationis speciei affinis & Clericis ac Religiosis prohibita est Conductio alienorum prædiorum & fundorum, *can. Placuit 21. q. 3. & c. Secundum cit.* non quidem ad sui suorumque sustentationem, quando ex propriis fundis collecti fructus ad eam sufficientes non sunt: sed luci causâ, *can. Pervenit, q. cit.*

9. *cit.* five; ut ex illis collectos fructus vendant, indèque lucrum reportent; quia etiam hujusmodi conductio animum distrahit & avaritiæ suspicionem non minorem quàm negotiatio præbet, Panorm. in *c. Secundum cit.* n. 2. Palao *Traç.* 16. *disp.* 4. p. 13. s. 3. n. 4. & Fagnanus in *c. cit.* n. 11.
10. Secundò prohibita clericis est Agitatio iudicii Sanguinis, *c. Clericis 5. & e. Sententiam 9.* quibus locis Clerici (eadem ferè ratio Religiosorum est) mortis vel mutilationis sententiam dicere vel proferre, eandem exequi vel exequentibus assistere sub excommunicatione & honoris & loci five, ut in *c. Clericis cit.* Panormit. & Gonzalez n. 2. notant, beneficii & officii privatione; ac proinde verbali depositione prohibentur. Imò, si ex tali ipsorum facto sequatur mors vel mutilatio, contrahunt irregularitatem, *Lib. 5. Tit. 12. à n. 9.* declarandam.
11. Tertio, Ordinatio aciei, & directio militum pugnantium, & multò magis consortio manuum cum hoste in pugna: quæ iisdem prohibita est *can. Eos qui 20. q. 3. can. Quicumque 3. Ec. 23. q. 8. & c. Sententiam cit.* ibi, *Nec ullus ruptarius vel ballistarius aut hujusmodi viris sanguinum præponatur.* Ratio est; quia Clerici & Religiosi per sacram Ordinationem & Professionem specialiter adscripti sunt Militiæ Christi, ab alieni sanguinis effusione ita remoti; ut pro ipsorum salute effuderit suum, S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. Suarez de Bello, *disp.* 13. s. 3. n. 5. & Molina *Traç.* 2. de J. & J. *disp.* 108. n. 12. Unde
12. Dubium oritur de Clericis constitutis in Ordinibus minoribus ac Religiosis laicis: ad quos prohibitionem illam non extendi, cum Covarruvia in *Clement. Si furiosus p. 2. s. 3. n. 2.* existimant aliqui, pro se allegantes Consuetudinem quæ *cc. cit.* interpretationem potèst quàm correctionem induci docent; quod hæc odiosa, & si manifestum Jus aut ratio aliud non persuadeat, non sit admittenda, *c. Cum expedit 29. de Elect. in 6. & l. Precipimus 33. C. de Appellat.* Sed magnopere ambigo, an extra casum gravissimæ necessitatis, quò patria adversus Fidei aut Religionis hostes sine Ecclesiasticorum auxilio defendi nequit, Consuetudine receptum sit; ut clerici ordines ducant aut contra hostes armati pugnent. Unde verius censeo, ejusmodi necessitate non urgente, relatis Sanctionibus Canonicis etiam affici, Religiosos laicos & clericos Minores saltem beneficiatos & Fori privilegium atque in clericatu perseverandi animum retinentes, cum; quod *can. & c. cit.* inter Clericos & Monachos non distinguant; ac proinde locus sit, *arg. can. Consulisti, ibi, quod SS. PP. decretum sancitum non est, superstitiosæ inventionis non est præsumendum:* cum verò; quòd etiam ipsi sint milites Christi, à quibus Christo, non Seculo servendum & militandum, *can. Reprehensibile 9. & c. cit.* generaliter statuitur, extra casum gravissimæ necessitatis Republicæ, specialiter exceptum, *c. Perennis 2. de Immunit.*
- Aliis etiam casibus Religiosi & Clerici in Sacris constituti bello piè & laudabiliter intersunt; ut militibus celebrent sacrificium Missæ, Sacramenta Ecclesiastica & cætera Divina admittant, eosque consolentur: & si bellum iustum sit, etiam animè ad pugnam; dummodo eos expressè & specialiter non incitent ad occisionem vel mutilationem hostium, quos servare sine suo discrimine possunt; quia eorum statui etiam Ecclesiastico non adversatur, ut aliunde constat ex *can. Omnis 8. can. Horra 10. & c. 9. d. cit.* quibuscum ne pugnet redemptum Innocentii III. Sacerdotes, qui ad

conflictum milites incitarent, deponendos secundum Veterum canonum rigorem, asserentis *c. Quod in dubio 5. de Pœnis*, exaudiendum est de incitatione ad pugnam injustam & ad determinatarum hostilium personarum occisionem vel mutilationem, Glossa in *c. cit.* Suarez de *Censuris disp. 47. f. 6. n. 10.* & Gonzalez in *c. fin. de Homicid. n. 14. in fine.*

14. Quartò exercitium artis Chirurgicæ per incisionem vel adustionem: quod Religiosis *c. Tuas nos 19. de Homicidio*: Clericis in Sacris constitutis interdictum est *c. Sententiam cit.* cuius textus argumentò, id etiam clericis Minoribus, beneficiù ad sustentationem sufficiens obtinentibus, illicitum, cum Panormit. in *c. cit. n. 22.* & Navarro *Comment. 4. de Regular. n. 28.* tradit Sanchez *Lib. 6. Moral. cap. 14. n. 35.* ubi eos dictam artem ex pietatis causâ exercentes à culpa: & si mors sequatur, ab irregularitate non excusat cum Panormit. in *c. Tua cit. n. 5.* & Ant. de Butrio in *idem c. n. 4.* Unde

Dubium oritur, an Clerici illi & Religiosi chirurgiam exercere saltem valeant sine incisione vel adustione. Affirmat id Covarruvias in *Clement. Si furiosus p. 2. §. 4. n. 2. V. Sic &* quòd nullò Jure prohibeantur: imò *c. Ad aures 7. de Erat. & qualis.* canonicus Colonienfis, licet mulier sumptâ, quam ei præbuerat, medicinâ mortua fuerit, ab irregularitate immunis pronuntietur; quòd ipse peritus artis Medicæ, & medicina juxta ejus artis præcepta parata fuerit. Nihilominus Chirurgicæ & Medicæ artis exercitium prædictis Clericis & Religiosis generaliter interdictum, consent Sylvelter *V. Medicus, q. 2. Navarrus Manual. cap. 15. n. 110.* Suarez *f. cit. n. 18.* & Palao *cit. disp. 4. p. 13. §. 2. n. 3.* quòd earum exercitium pertineat ad negotia secularia ipsis generaliter prohibita, *c. Clerici 15.*

de Vita & honest. Rubr. & c. 1. hic: præterquam, si absque incisione & adustione erga personas miserabiles & cognatas exerceatur causâ pietatis; ex qua causa susceptum artium illarum exercitium, cum seculari negotium non sit, Clericis & Religiosis permiffum, cum iisdem advertunt *citt. Sanchez n. 14. & Palao n. 4.*

Neque id ex aliis etiam causis permiffum *c. Ad aures cit.* decisio evincit; quia eâ canonicè ab irregularitate absolvitur, non; quòd artes illas cum incisione vel adustione exercere Clerici & Religiosi generaliter permittantur: sed; quòd eas exercere potius propter indecenciam, quam mortis aut mutilationis periculum prohibeantur, ut rectè advertunt DD. *citt.*

16. Quintò, Procuraciones in rebus laicorum in & extra judicium: quæ uti & administraciones villarum & jurisdictiones seculares Religiosis & Clericis, saltem constitutis in Sacris & Minoribus, beneficia ad sustentationem sufficientia obtinentibus *c. Sacerdotes 2. & c. Sed nec 4.* prohibentur; quòd per eas negotiis secularibus contra præsentem Rubricâ implentur. Cui non adversatur; quòd primis Ecclesiæ seculis causæ temporales inter laicos controversæ ad Episcopalem audientiam per viam appellationis & in prima etiam instantia sint delatæ, *can. Quacunq. 8. Et. 15. q. 1. & can. Sape 23. q. 8.* quia iis temporibus id ex optimâ ratione receptum erat; ut fideles retraherentur à tribunalibus Paganorum, & ab his quandoque imminente periculo perversionis: quò cum tempore & ipsâ Fidei propagatione sublatò, quod Christianorum judicium copia ubique esset, Ecclesiastici ab ejusmodi causarum cognitione taperunt abstinere: nisi ab ipsis Principibus specialiter committerentur, ut in *c. Sacerdotibus cit.* eruditè observat Gonzalez *n. 6.*

H h h h h

Sexto,

17. Sexto, Officium Tabellionis: quod Clericis in Sacris constitutis & aliis, competens beneficium habentibus, disertè & severè prohibetur *c. Sicut re 8. & Religiosis interdictum desumitur ex c. Ut officii 11. §. Verum, V. Ad conscribendas, de Hereticis in 6. ubi id favore Fidei tanquam aliquid omnino speciale permittitur Religiosis, qui Tabellionis officium in seculo habuerunt. Prohibitionis ratio solennis est; quòd tabellionum officium sit publicum & seculare; ideo enim instrumenta ab eis confecta publica & fœderentia nuncupantur, *Novell. 44. & 73. forensibus autem & publicis negotiis Clerici & Religiosi misceri non debeant, can. Reprehensibile, eadem & c. 1. hâc Rubr.**
18. An ab ejusmodi Clerico & Religioso præsertim, qui in seculo tabellio fuit, confecta instrumenta valida sint, in dubium aliqui vocant: & à Religioso quidem sine Prælati sui licentia confecta, cum Decio *in c. Decernimus 2. de Judiciis à n. 70. nullitatis arguit Covarruvias Præf. 6. cap. 19. n. 8. V. Monachus:* etsi ab ipso, quæ in seculo inchoavit, aut breviter & succinctè in Protocollo conscripsit, post Religionis professionem compleri posse, haud ægrè concedat, *arg. l. Alienationes 13. ff. Famil. heres.* Alii tamen satis frequenti calculò ab eo etiam post professionem inchoatis & cum debitâ solennitate perfectis instrumentis tanquam validis plenè probandi vim tribuunt, cum; quòd nullò Juris textu irritata, ac proinde pro validis habenda sint præsertim; cùm eorum ita confectorum nullitas non conficiendi, sed partibus, inter quas gestum negotium continent, sint damnosa, Panormit. *in c. Sicut cit. n. 11. Sylvester V. Tabellio q. 3. d. 5. & Sanchez Lib. 6. Moral. cap. 13. n. 48. qui tamen excipiunt casum, quò Religioso vel alteri clerico in sacris*

dictum & ademptum esset publicè, v. per edictum solenniter promulgatum, post hujusmodi enim publicationem ab eo confecta instrumenta propter defectum potestatis in conficiendo pro nullis merito habent DD. *citt.*

Septimò *c. Clericus 5. V. Invenimus, Sa-* cerdotibus prohibetur officium Vicecomitis & Præpositi secularis sive Gubernatoris alicujus provincie vel civitatis & Præsidis Curie sive Cancellarie Principis sub interminatione excommunicationis post monitionem Canonicam ipsò factò contrahendæ, ut ex Verbo *subjacet*, hominis ministerium non exigente sed prohibitionis transgressionem censuræ illi definitivè subjicente cum Glossa *sup. & Panormit. in c. cit. n. 14. colligunt Navarrus Manual. cap. 27. n. 117. & Suarez de Censuris disp. 23. §. 3. n. 22.*

Eadem Censurâ etiam ceteros clericos in Sacris affici & *c. cit. nomine Sacerdotis* venire, notant Panormit. *ibi n. 8. & Sylvester V. Excommunicatio 9. n. 25. arg. can. De crimine 15. q. 5. & c. Si quis 2. de Cohabit. cleric. & mul. quorum reatum posteriori nomine Sacerdotis etiam diaconum & subdiaconum comprehendit, in terminis habetur: prioris principis Diaconus, & sub finem Sacerdos idem clericus nuncupatur. Sed lata hæc ejus nominis acceptio rara & in Jure penali usù recepta vix est extra casus expressos.*

Quare, licet sicut Sacerdos, sic & ceteri Clerici majores & vel maxime Episcopus ejusmodi gubernationes sine dispensatione Papæ illicitè gerant: tamen neque iste neque illi, et etiam post monitionem gerendò, excommunicationem ipsò factò incurrunt: Episcopus quidem quia generali Constitutione ejusmodi Censuram infligente non afficitur, nisi plus expressa mentio habeatur, *c. Quia periculosum 4. de Sent. excommunicat. in 1. Ca.*

in 6. Cateri autem Clerici majores & beneficiati; quia *c. Clericus cit.* nomine Sacerdotis solum Presbyterum denotari, satis insinuat Papa priori ejus parte & prohibitione; ne sanguinis judicium agitent, clericis in sacris vetans generaliter; posteriori autem, Vicecomitis officium insuper habitâ monitione gerere præsumentes excommunicationi subjiciens, expressè solum Sacerdotem nominat; ac proinde eò latam censuram ad hunc solum restringunt Suarez *cit. f. 3. num. 21.* Henriquez *Lib. 12. cap. 5. n. 5.* & Barbosa *in c. cit. num. 6.*

21. Octavo *c. Non magnopere 3.* severè cavetur; ne Religiosi ad Physicam, hoc est, Medicinam & Leges Mundanas sive Civiles legendas sive, ut vocem hanc excommuni DD. ferè omnium sensu intelligit Barbosa *in c. cit. n. 5.* publicè audendas è claustris egredi permittantur. Egressi verò, si intra duos menses non revertantur, excommunicationem Jure latam ipsò factò incurrunt. Quod Alexandri III. statutum Honorius III. *c. fin.* repetiit & *Quia verò* ad Archidiaconos, Decanos, plebanos & similes clericos dignitatem vel personatum obtinentes & presbyteros extendit. Extensionem verò Bonifacius VIII. ita confirmavit, ut exciperet Rectores Parochiarum *c. 1. in 6.* nisi istæ sint plebanie sive Ecclesie habentes sub se capellas minores, quibus vicarii perpetui præficiuntur; tales enim, uti & cateri Parochiarum Rectores, si dignitatem vel personatum ex dispensatione obtineant, leges audire etiam ipsi prohibentur. Non quidem ratione suarum Ecclesiarum parochialium, sed ratione dignitatis vel personatus, secundum Glossam *in c. cit. V. Ratione.*

Porro, ut *cc. cit.* lata excommunicatione à Religioso incurratur, duo concurrere est necesse. Primum est egressus è

Monasterio eà intentione factus; ut leges vel Physicam sive Medicinam audiat, vel saltem aliâ v.g. amicam invifendi eumve honorandi intentione egressus, postea disciplinis illis addiscendis operam navandi animò extra Monasterium perseveret, Panormit. *in c. Non magnopere cit. n. 8.* Suarez *de Censur. disp. 23. f. 3. n. 15.* & Palao *Tract. 29. disp. 3. p. 32. n. 4.* Alterum; ut postquam ex illo est egressus, aut aliâ intentione egressus voluntatem mutavit & ad disciplinarum illarum studium animum adjecit, intra duorum mensium spatium ad Monasterium suum non sit reversus, Panormit. *in c. fin. cit. n. 8.* Suarez *f. cit. num. 10.* & Bonacina *de Censur. disp. 2. q. 3. p. 7. n. 11.*

Ratio prohibitionis duplex refertur.

Una ab Alexandro III. ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur: & in interioribus eò ipsò deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus, hoc est, temporali- bus providere, ut habet à Gonzalez re-

lata plenior lectio *c. Non magnopere cit.*

23. Altera ab Honorio III. ut Theologiæ stu-

dium ampliatur & fides Catholica circumcincta sit murò inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex diverso, sive, à quibus ea Divinarum scripturarum autoritate contra Hæreticos defendatur, *c. fin. cit.* cum enim Lotharius II. eumque secuti Imp. alii statuisent; ut abrogatò Longobardorum Jure, Romanæ Leges sive Jus Civile observaretur in tribunalibus & in Academicis publicè prælegeretur, ejus professio in magna æstimatione cepit esse, ut videre est apud Postevinum *Biblioth. Lib. 13. cap. 17.* & contra Sacræ Theologiæ studium vilescere & negligi; cum fere omnes profiterentur studium Juris Casarei propter honores, & propter opes Physicæ seu Medicinæ, juxta tritum,

H h h h h 2 Dat Ga-

Dat Galenus opes, dat Justinianus honores.

Unde laudati summi Ecclesie Antistites sacre scientie Theologicæ necessitatem utilitatēque maximam præ oculis habentes, relatas Constitutiones ipsius favore publicarunt, Barbosa *Decis. Voto 88. n. 24.*

24. Theologia autem nomine *c. fin. cit.* etiam Jus Canonicum venire, cum Panormit. *in c. cit. n. 7.* advertit Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 35.* quod sanctiones Canonice ex Novi & Veteris Testamenti autoritatibus processerint, *c. Qualiter 25. pr. de Accusat.* de summa Trinitate, Fide Catholica, Sacramentis Ecclesiasticis & aliis materiis Theologicis agant: Ecclesiarum Pastores & Rectores ad earum gubernationem instruant & Fideles dirigant ad cultum Dei, Justitiam Christianam conservandam & æternam salutem consequendam, ut in *Dissert. Proam. n. 79.* est dictum: & propterea Canonica scientia pars Divinæ, *c. 1. de Juram. Calumn. & Theologia Practica* nuncupetur à Sylvestro *V. Doctor n. 5. Pelagio Lib. 2. de Planctu Eccles. art. 20. Cano Lib. 8. de Loc Theolog. cap. 8. Jordano Lucubrat. Prælod. 13. n. 2. & Pignatello Tom. 1. Consult. 147. n. 8.*

At, licet hoc ita & ratio sit, cur S. Synodus Tridentina ad Prælaturas, dignitates, beneficia & officia Ecclesiastica, quæ Magistris vel Licentiatum in Theologia committi voluit, Doctores & Licentiatos Juris Canonici pariter admittat *Sess. 22. cap. 2. Sess. 23. cap. 18. Sess. 24. cap. 8. 12. & 18. de Reformat.* usque aded; ut, sicut officium Vicarii Generalis Theologo, qui sacrorum Canonum quidem nec Doctor nec Licentiatum, peritus tamen est, committi posse dictum, *Lib. 1. Tir. 28. n. 29.* sic ad Præbendam Theologalem sacrorum Canonum san-

tum Doctorem aut Licentiatum admitti ab Episcopo posse, à Congreg. Card. Trident. Interpp. multoties sit declaratum, testis Pignatello *cit. Consult. 147. à n. 1. licet, inquam, hoc ita sit, magnopere tamen hæreo, an c. fin. cit. Honorius III. etiam sacrorum Canonum studium comprehenderit: non quidem; quod hoc excludat ratio defensionis Fidei Catholicæ contra Oppugnatores; quia ad hoc, sicut sacrarum Literarum & Theologicam plus, quam scientiam Canonicam conferre, ita hanc valde utilem esse Magister usus luculenter docet: sed propter specialem necessitatem eo tempore promovendi studium SS. Theologie præsertim Parisiense, quod eo tempore studiosis, etiam Clericis ac Religiosis maximo numero in Italiam ad Leges, & aliquando etiam ad Medicinam audientis confluentibus, minus frequentari capit; ut periculum esset; ne maximo Ecclesie damno omnino negligenter, ut cum DD. *cit.* etiam advertit Gonzalez *in c. fin. cit. n. 2.* Ubi*

Dubium est primò, an *cc. cit. dicitur* si Clerici & Religiosi etiam prohibeantur Physicam & Leges docere. Quod cum Hostiensis *in c. fin. cit. n. 3.* affirmat Sylvester *V. Excommunicatio 9. n. 8. Nobilius de Nominat. q. 5. à n. 18. Menoch. de Arbitr. casu 42. n. 33.* & alii propter *c. Non magnopere cit. verba, Ne ad Physicam legere mundanas legendas permittantur exire: & rationem ipsam; ne spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur: quæ aquæ militanti contra doctorem quam contra dilectum.*

Sed leve est, quod ex *V. Legendis* desumitur argumentum; quia eo *discendi* vel *discendas* denotari, jam dictum est, & clarè desumitur ex *c. fin. cit. pr.* ubi Honorius Papa allegans *discenda*

tutum Concilii Turonensis *c. Non magnopere cit.* relatum, disertè ait, eo prohibi-
bitum exitum è claustris ad audiendas
Leges vel Physicam: quod verum non
esset, si priori textu verbum *Legendas*
non alium sensum, quàm sonum haberet,
& non discendò, sed docendò legentes
denotaret. Non magis urget *c. cit.* ratio
partim; quia leges docens actionibus
secularibus minùs involvitur quàm di-
scentes; cum ad illud faciendum non,
sicut plerumque illi malò; ut fori ne-
gotiis implicentur: sed bonò zelò ad
scientiam per se bonam & ad Reipublicæ
rectam gubernationem necessariam aliis
communicandam moveantur: partim verò;
quia exitus ad Physicam & præsertim
Leges audiendas eò tempore frequens:
ad docendum autem rarissimus erat, &
esse poterat; ut proinde hunc speciali
lege prohiberi vel adversus illum conditam
præsertim poenalem constitutionem ad ip-
sum extendi, non fuerit necesse, *arg.*
Non ad ea 5. §. l. Jura 8. ff. de LL.

Quare veritati magis consona &
recepta est Negativa: quam cum Panormit.
in c. fin. cit. n. 16. defendunt Navar-
russ *Manual. cap. 27. n. 116.* Suarez
cit. disp. 23. §. 3. n. 17. Barbosa *cit. Voio*
88. à n. 7. Fagnanus *in c. cit. n. 41.* &
Gonzalez *in c. Non magnopere cit. n. 5.*
Ratio est, quòd Jure communi Leges &
Physicam docere Clerici & Religiosi non
reperiuntur prohibiti: neque propter in-
frequentiam casus appareat specialis ratio
prohibendi; ac proinde locus sit, *arg.*
can. Consulisti 2. q. 5. §. can. fin. 31. q.
1. Accedit; quòd prohibitio leges do-
cendi non ampliat studium Theologiæ;
sicut hoc ampliat prohibitio audiendi;
quia hoc frequenter & in multis: illud
vix unquam contingere potest; cum, qui
Legum scientiam ad docendum sufficien-
tem privatò studio comparat in Religio-

ne, vel antè comparatam ad hanc ferat,
vix reperiat; ut probè advertit Fagnanus
l. cit. n. 43.

Dubium secundò est, an *cc. cit. 26.*
prohibitio & poenæ porrigantur ad au-
ditionem Legum, quæ sit ad sacros
canones meliùs intelligendos. Quod ali-
qui simpliciter affirmant propter *cit.* textum,
dictis Clericis auditionem Legum,
& Religiosis ad eas audiendas egressum è
claustris indistinctè prohibentium, ge-
neraliter. Alii cum Hostiensis *in c.*
fin. cit. n. 3. & Panormit. *l. cit. n. 3.*
Lud. Gomez *in Reg. de Non toll. jure*
quæst. q. 3. in fine, negant; ac proinde
illis sacrosanctæ Theologiæ vel sacrorum
Canonum studio in publica Univeritate
operam dantibus ingressum scholarum ad
leges eò sine audiendas à Censura immu-
nem, imò licitum esse volunt. Moven-
tur; quòd, cum ex una, ad sacrorum
Canonum perfectam intelligentiam com-
parandam plurimum conferat, imò ne-
cessaria sit scientia legum juxta vulgatum,
Leges sine canone valent parùm, Canonis
sine lege nihil: illud Baldi *in Proæmio*
Decretal. scribentis, Juris Canonici lan-
ctiones Juris Civilis subtilitate decorari,
& famigeratum Lucii III. referiptum,
Sicut Leges non dedignantur sacros Ca-
nonnes imitari, ità sacrorum statuta Ca-
nonum Principum Constitutionibus adju-
vantur, c. 1. de Novi Oper. nunt. ex al-
tera verò parte, sacrorum Canonum
scientia Clericis & Religiosis valde con-
veniens, imò necessaria, ejusque studium
permissum sit: atque idcirco ipsis etiam
permissum videatur audire Leges; ut
scientiam sacrorum Canonum facilitate
comparent. Quæ ratio, sicut Clericis
& Religiosis sacris Canonibus addiscen-
dis cum superiorum suorum licentia o-
peram dantibus privatam legum studium
licitum esse evincit, sic dubiam relin-
quit pu-

H h h h h ;

quit pu-

quit publicæ earum auditionis honestatem.

27. Quidquid autem sit de Jure scripto, nostræ huic Electorali & permultis aliis Universitatibus Privilegia à sede Apostolica indulta sunt, vi quorum quibuscunque studiorum causâ ad eas se conferentibus Juri etiam Civili operam dare est permixtum: ut de Salmantina, Pisana, Pictaviensi Gonzalez *in c. Non magnopere cit. n. 4.* de Lovaniensi Zœsius *ad hanc Rubr. n. 4.* de Salisburgensi Lud. Engel *Rubr. cit. n. 6.* de aliis Studiorum Universitatibus alii perhibent. Cujusmodi privilegia si Germaniæ nostræ Universitates Catholicae reliquæ munitæ non sunt, id quod Privilegiorum vi in memoratis, in istis Consuetudine introductum & receptum videri potest; cum in utriusque Juris studiosorum numero Clerici & Religiosi ubique passim censeantur.

Dubium tertio est, an hujusmodi privilegia seclusis excommunicationem *cc. cit.* latam Religiosus ad Leges aut Physicam audiendam à Monasterio egressus etiam incurrat, si disciplinis illis o-

peram non det propter interveniens impedimentum. Talem certe à censura illa cum Cajetano *in Summa V. Excommunicatio cap. 50.* excusat Filiucius *Tract. 14. cap. 8. g. 2.* eâ ductus ratione; quod è Monasterio egressus Religiosus inhibitus sit non propter se, sed propter legum aut Physicæ sive Medicinæ studium; ac proinde sine istarum scientiarum alterius studio *cc. cit.* lata excommunicatio non incurrat. Sed contra communem sententiam aliorum talem Religiosum à censura ista non exculantium; quod sub ejus contrahendæ penâ Religiosus prohibitus sit egressus è Monasterio animò scientiis illis operam navandi, si intra bimestre non revertantur: quod totum de Religioso in proposito casu verificatur, saltem si intra duorum mensium spatium scientiis illis operam dandi voluntatem non mutavit, *cit. Suarez n. 14. Bonacina n. 6. & Palao n. 4.* à censura illa talem Religiosum eò solum casu absolventes, quò, voluntate intra duorum mensium spatium mutata, scientiarum illarum studium ordiendi vel prosequendi animum deposuit.

Libri III. Institutionum Canoniarum FINIS.

